



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

69. Stultus semper desiderat, immemor eorum quæ habet, licet cupitis meliora: quasi præsentibus offensus ad absentia properat, illis quoque, ubi adfuerint, irritandus. Nullius fruitur, & omnibus inhiat, fuismet ipse torquetur votis.

70. Malè concupieris illud, cui omnes insidiantur, & quod à nemine securum est: multitudo ambientium officit, nè obtineas: numerus invidorū, nè quietè possideas. Res terræ hujus montanæ sunt, & instar ferarum; quò magis accesseris, eò fugiunt magis: ambientem declinant.

DECAS VIII.

71. Non est Sapiientis appetere, sed velle: non timidum esse, sed cautum: non voluptuari, sed gaudere. Nihil desideret, nisi cum ratione: cautè præveniat, sed cum quiete: liberè gaudeat, sed cum honestate: de nullo doleat, nisi de peccato; quamquam ubi ratio ad est, peccatum adesse non debet.

72. Virtuoso ea præ cæteris prærogativa est, quòd inter ipsa tormenta felicitate non careat. Non judicat esse malum, unde non redditur malus. Culpam timet, poenam

pœnam suffert, voluptatem fugit, & totum fortunæ imperium pro nihilo habet: solâ patientiâ armatus in omnem ejus tyrannidem audet.

73. Ut fortuita non te commoveant, maturè prævideas: eveniant præter voluntatem, non præter opinionem: si non prævolita, sint saltèm prævisa. Non velis te exemptum calamitatibus humanis, sed erroribus. Quidquid statueris, hanc appendicem addito: *Nisi casus adversum aliquid immiserit*: non quòd timeas iram fortunæ; sed ut prævenias.

74. Licèt eventus non adverteretur consiliis, si tamen non respondeat optatis, etiam ex hoc modico torquetur animus. Qui quod sperat, non præfixerit certò eventurum, mollius fert vota sua illudi.

75. Convenit in id advertere, quod evenire potest, non quod solet. Mala quæ in aliis mollit assuetudo ferendi, in te enervet cautela præ videndi. Non solet nauta, dum cœlum aspirat, & aura blanditur clavum deserere, aut remos abjicere: semper parata habet, quibus tempestati occurrat. Ità sapiens dum fors afflat

benignior

benignior, non sit immemor adversæ.
Etiam tela fortunæ non feriunt prævisa.

67. Genus libertatis est servire sapien-
ti, uti species servitutis, imperare stultis.
Qui desipit, duplici malo obnoxius est: in-
sipientiæ, quâ gravat seipsum, malitiæ
quâ cæteros. Veluti enim sapiens supplet
ingenio, quod deest facultati, ita stultus
prudentiæ, quâ caret, supponit malitiam.

77. Amentibus hæc propria esse Aristo-
teles scribit: *Facile ac perperam judicare; præ-
properè mentem edicere: nolle uti præsentibus:
de rebus vitæ honestis ac bonis malè opinari.* At
ego majoris longè insipientiæ esse autu-
mo, nosse bonum, & tamen facere malû.

78. Non sapit ille plurimùm, qui novit
plurima, sed qui, quæ novit, sapienter
disponit: non qui explanat recondita, sed
qui inquirat in vera: non qui ratiocinatur
multùm, sed qui appetit modicum: qui
affectus suos contrahit: qui seipso conten-
tus est, & à fortuna independens.

79. Beatus ille, qui pluribus non eget,
ut contentus vivat, quàm ut vivat. In
hoc egemus cibo, somno, veste, aliòque
apparatu: in illud sufficit animus utrius-

F

que

que fortunæ contemptor, æstimator celestium, Deique æmulator, qui absque accessu alterius boni seipso beatus est.

80. Vis rebus omnibus dominari? contemne. Non parvus rerum usus contemptus est: quin & domini pars melior non possessio, sed usus & fructus. Uti rebus nemo melius, quàm virtuosus noverit, nemo magis de illis gaudere; nam major ejus usus, contemptus est. Cæterum quid post longum rerum usum haberi let, nisi fastidium earundem? idem habet ante felicitatem, qui contemnit.

DECAS IX.

81. Nullus magis servus, quàm improbus, nemò magis ingenuus, quàm virtuosus. Quæ enim libertas major, quàm vivere uti velis? hanc nemo tibi sustulerit, si tioso fors ista non evenit, subest dominatio cupiditatù. Lex ei interdicit, quod appetit & quod appetendù foret, vitia impediunt. Qui ex virtute vivit, ductumq; rationis sequitur, illù nihil de proposito deturbabit.

82. Libertas nemini major contigit, quàm qui velit, quod Deus vult. Hujus voluntati nihil adversatur: semper enim

exequ